

sius extenduntur ad principia domorum 3. 4. 5. 7. 9. 10. & 11. à do-
 mo in cuius principio fuerit ipse planeta uel stella, sed si ipse pla-
 neta uel stella elongatus fuerit à principio domus in qua fuerit sci-
 as per quod gradus ascensionum circuli directi elongatus fuerit
 ab ipso principio, & ipsos multiplica per gradus ascensionū cir-
 culi directi, qui fuerint inter principium & finem illius domus,
 ad quam extenduntur radij planetæ uel stellæ. Et quod inde pro-
 uenerit diuide per gra. ascensionum circuli directi, qui fuerint in-
 ter principium & finem illius domus, in qua fuerit planeta uel
 stella, & q̄ inde exiuerit, adde sup ascensiones principij domus,
 ad quam extenduntur radij, & quod inde prouenerit extende in
 ascensionibus circuli directi. Et scias quod in eius directo fuerit
 de circulo signorū, q̄ illic extenduntur aspectus & radij planetæ
 uel stellæ. Vel aliter gra. longitudinis ipsius planetæ uel stellæ, à
 principio domus in qua fuerit, diuide per partes horarum gra.
 ipsius planetæ uel stellæ duplicatas, diurnarum quidē si fuerit
 super terram, nocturnarum uero si fuerit sub terra, & proueni-
 ent tibi minutæ horæ longitudinis planetæ uel stellæ à prin-
 cipio domus, in qua fuerit, quæ minuta multiplica in ascensio-
 nes circuli directi quæ fuerint inter principium & finem cuius-
 libet domus ad quam projicit & extendit radios suos, & quod p-
 uenerit adde super ascensiones principij cuiuslibet earum, & q̄d
 inde prouenerit extende in ascensionibus circuli directi, & uerte
 in gradus æquales, & habebis quo de circulo signorum extendē-
 tur aspectus & radij ipsius planetæ uel stellæ à qualibet domo
 quam aspicit. Sed pro inueniēdo quo de circulo signorum
 extenduntur radij & aspectus secundum modum Ioannis Hy-
 spalen. Nota quod ascensiones circuli regionis omnium quar-
 tarum cuiuslibet figuræ sunt æquales. Manifestum quidem est
 quod ascensiones duarum quartarum occidentalium sunt æqua-
 les ascensionibus duarum quartarum orientalium, propter il-
 lud quod dicebatur supra capitulo tertio, uidelicet, quod quod-
 libet signū & quilibet gradus descēdit cum ascensionibus sui op-
 positi. Patet etiam quod ascensiones duarum quartarum orient-
 talium